

1578

nestos eventus nuper Galliae regnum persenserat: damna, quæ ex ejusmodi consilio manare possint, quæve, eo abiecto, christianæ reipublicæ bona accessura sint, perpendit: quam id Veneto Senatui, qui illum citatis itineribus in Galliam contendere jussisset, pergratum futurum sit, ostendit. Henricus egregio in quietem publicam animo se esse testatus, nullas in fratris consilio sibi partes esse; nihil, ut a suscepta sententia deduceret, non egisse; apud illum juventutis fervorem, generosumque ad gloriam impetum vehementissimas adhortationes atque obtestationes viciisse; nunc vero ne minimam quidem spem, ut a cœptis absisteret, superesse; nihil tamen se prætermisjurum, constanter affirmat, ut vel orbi præclarum optimi animi, servandæque cum Catholico Rege pacis cupidi testimonium exhibeat. Cum Michaelius ab Henrico nihil impetrare se posse intelligeret, extemplo in Belgum proficiuntur, Montium, ubi Alenconius erat, se confert; nihil, quo animum illius flectat, atque a suscepta provincia dimoveat, intentatum relinquit. Nunc, quantum ea expeditio paci publicæ obsit, edifferit: in protegendis Hispaniarum Regis hostibus si perseveret, haud dubie concordiam abruptum iri, breviique ejusmodi incendium, quo universa christiana respublica conflagraret, oriturum. Nunc regis fratris de se optime meriti rationes explicat, qui adeo in publicam tranquillitatem animatus esset, ut summo animi dolore, ob ceptum ab eo, se repugnante, consilium, afficeretur. Nunc quam parum inde emolumenti sibi obventurum sit, exponit: rem innumeris difficultatibus obstrictam plus existimationis jacturæ & periculi, quam ad ea vota, quæ animo conceperat, confienda spei esse: aliunde gloriam sibi querendam, quæ dubio procul valde imminueretur, atque foedaretur, dum ab eo discordiæ ac bellorum inter duos Reges initia fierent. Senatus demum desiderium ac postulata defert, qui non alio, quam in commune bonum, atque Galliarum Regni amplitudinem & incolumentem studio ductus, ad eum, atque ad Regem fratrem, se extra ordinem quam celerrime contendere jussum, legasset. His, atque aliis Alenconium permovere Michaelius conabatur. At ille, de propenso in se ipsum animo, deque legatione Senatui gratiis actis, multis, quæ ab se gesta sint,

jure

*Henrici  
Regis re-  
sponsu.*

*Francisci  
Alenconii  
responsu.*